


CONCILIUM NATIONALE ALBANUM II



DE ROMANO PONTIFICE



CRACOVIAE 2023

www.ultramontes.pl




De Romano Pontifice

CONCILIUM NATIONALE ALBANUM II (in Oriente). 1871.

P. I. cap. 2. Multifariam multisque modis locutus olim Deus patribus in prophetis, novissime locutus fuit in Filio, per quem soluto medio pariete maceriae, quo Iudaei segregabantur a gentibus, fecit utraque unum (Hebr. 1. – Eph. 2.). Scilicet unicum Christus Iesus fundavit Ecclesiam ex Iudaeis gentibusque collectam, a qua et Spiritum suum et verba sua numquam recessura pollicitus, eam fecit columnam ac firmamentum veritatis (Is. 59. 1 Tim. 3.), aeternum videlicet infallibilemque mansuram. Huic Christi Ecclesiae regendae una cum ceteris fidelium Pastoribus *uti omnium Pastor et Princeps* praesidet

Romanus Pontifex Petri successor; in eaque supernaturalis Dei revelatio sive scripta sive tradita ab omni errorum coeno servatur immunis, populisque in dies veluti per manus illa traditur catholica fides, quae utpote coeli filia, divinaque auctoritate ac virtute suffulta, coelestiumque divitiarum ditata thesauris, universum orbem uno crucis vexillo pervasit, ac in medias ignorantiae tenebras et umbras mortis veritatis lumen et aeternae vitae aquam effudit. Haec itaque fides, quam *Sancta Romana* profitetur *Ecclesia*, et sine qua impossibile est placere Deo (Hebr. 11.), mente et corde firmiter omnibus tenenda, eique attendendum perpetuo quasi lucernae lucenti in caliginoso loco (2 Petr. 1.). At quoniam corde quidem creditur ad iustitiam, ore autem, suffragantibus operibus, confessio fit ad salutem (Rom. 10.), hinc in eius etiam externa professione usque ad sanguinis effusionem, si opus fuerit, permanentes gloriemur, eandemque una omnium confessione ad formam ab infallibili Romani Pontificis magisterio praescriptam colamus, scilicet: "Ego etc." (formula professionis fidei).

Cap. 3. In accepta ab aeterno Pastore et Episcopo animarum nostrarum (1 Pet. 2.) *fortitudine petrae perseverans beatus Petrus, quotidie in universa Ecclesia Romanorum Pontificum, eidem in Romana Cathedra successorum, apostolico ministerio praedicat*: Tu es Christus Filius Dei vivi (Matth. 16.); et omnis lingua, quae confitetur Dominum, *infallibili huius vocis imbuatur magisterio*. Haec fides diabolum vincit, et captivorum eius vincula dissolvit. Haec erutos mundo inserit coelo, et portae inferi adversus eam praevalere non possunt (Matth. 16.). Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque haeretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia (Leo PP.). Hinc omnibus, qui catholica professione censentur, cordi quidem est, *ex Apostolica Petri Sede, veluti ex natali suo fonte, doctrinae latices derivare* (Innoc.). *Apud Romanos siquidem Pontifices, uti Africani loquuntur Episcopi, magnum et indeficientem omnibus Christianis fluentem redundantem consistere fontem nullus ambigere potest, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem Christianorum.* Divinis autem praeceptis et apostolicis monitis iidem Summi Sacrorum Antistites incitantur, ut pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilant affectu, ac si quid usquam reprehensioni inveniatur obnoxium, celeri sollicitudine aut ab ignorantiae errorisque imperitia, aut a praesumptionis usurpatione revocent, (Leo PP.) *Romana enim Ecclesia, ceterarum Ecclesiarum mater et magistra disponente Domino constituta, multa tolerat, et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit* (August.).



Hinc tot tantisque malis, quae rem christianam civilemque hac nostra tempestate perturbant, remedia laturus SSmus D. N. *Pius Papa IX* Sacrum *Vaticanum Concilium* feliciter indixit, ubere quidem fructu inchoatum, temporum vero calamitate, seu potius divino, quod scrutari est nefas, iudicio post quartam publicam Sessionem suspensum. Iamvero eo infallibili Ecclesiae docentis Conventu, in Spiritu Sancto legitime congregato Summus Pontifex sacro approbante Concilio, nobis etiam in eodem laetissime suffragantibus, duas edidit Constitutiones: quarum prima catholica asseritur explicaturque doctrina de Deo rerum omnium Creatore, de revelatione, de fide, ac de fide et ratione, atque una rationalismi anathemate conficiuntur errores profanaeque vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, supernaturali christianae religionis deposito ab Ecclesia Catholica fideliter custodiendo omnino adversae. Altera vero Constitutio *doctrinam de sacri Apostolici Primatus institutione, perpetuitate ac natura cunctis fidelibus credendam tenendamque, iuxta antiquam constantem universalis Ecclesiae fidem, proponit*, et contrarios damnat errores dominico gregi perniciem exitiumque minitantes.

Firma itaque fide, ut par est, teneant omnes *haec catholicae doctrinae dogmata infallibili Ecclesiae magisterio declarata, quae SS. Scripturarum oracula, orthodoxorum Patrum testimonia, perpetuus Ecclesiae sensus et Romanae Sedis infallibilis auctoritas vel ab ipsis Ecclesiae incunabulis iam tradiderant et confirmaverant*. Animarum vero pastores, praesertim parochos,

sub divini iudicii indignatione in Domino hortamur, ut totis viribus curas omnes ingement, sibi commissum christianum gregem purissimis ac saluberrimis sanctae matris Ecclesiae pascuis nutriant ac foveant, seduloque studio a venenatis mundi tenebrarum avertant, ne mortifero eorundem viro Praesulum culpanda desidia inficiantur oves ac pereant. Archiepiscopos itaque et Episcopos omnes in Christo Iesu obtestamur, ut in proxima dioecesana Synodo a singulis locorum Episcopis celebranda praefatas Vaticanae Synodi constitutiones legendas et publicandas curent; et si iam fuerint publicatae, a parochis etiam suis ovibus eorum captui accomodato sermone opportune tradantur. Quoniam vero *Ecclesiae aedificium in Apostolici Primatus erigitur fundamento, in quo tota eiusdem aedificii vis atque soliditas divini ipsius Auctoris decreto consistit*: ideo dum hac in provinciali Synodo universam in praefatis constitutionibus traditam doctrinam solemni ritu profiteri gloriamur, *dogmaticas* interim earundem *de Primatu conclusiones* hic edere pro nostro pastoralis munere necessarium ducimus. His enim fore confidimus, ut huius Albanae Ecclesiae fideles novarum monstra haereseon, quae per filios diffidentiae in orbem terrae disseminantur, et iam in plurium mentes hominum irrepserunt, divinae splendoribus veritatis ab *infallibili Petri Cathedra* in dies traditae dignoscant, atque a lethali eorum morsu ac tabe praecaveant, vel vulnera, si quae iam acceperint, coelesti hoc antidoto et gratia Dei, fide purificantis corda hominum, penitus curent et sanent. (*Sequuntur sanctiones Concilii Vaticani de Primatu*).



Gratias igitur agentes Christo Iesu, qui rediturus ad Patrem, hoc etiam misericordiae beneficium hominibus reliquit, quo *Ecclesiae suae visibile Caput summa quidem auctoritate ac infallibili magisterio in sensu ab Ecclesia definito polleret*, in hoc sollicite incumbant animarum pastores, ut fideles sub eorum ductu numquam oculos avertant ab illa mystica Sion, a *Romana* scilicet *Petri Cathedra*, ut lucerna supra montem imo in vertice montium posita, ne huius caligine seculi obvoluti sint tamquam parvuli fluctuantes et circumferantur omni vento doctrinae, naufragium circa fidem patiantur, et ab unitate deficient Ecclesiae.

(*Concilium Albanum II provinciale sive nationale*. Romae. 1876, p. 14. ss.).

Supplementa ad Collectiones monumentorum et literaturae de matrimonio in Ecclesia Catholica potestati ecclesiasticae subiecto; matrimoniis mixtis; coelibatu et breviario; independentia potestatis ecclesiasticae ab imperio civili; Romano Pontifice; Beata Maria Virgine in suo conceptu immaculata. Collegit et edidit Augustinus de Roskovány, Episcopus Nitriensis. Tomus VIII. (Resp. XVIII.) *Romanus Pontifex Ecclesiae Primas et princeps civilis. Monumenta et literatura seculi XIX usque annum 1880*. Nitriae, 1889. TYPIS SCHEMPEK ET HUSZÁR, pp. 94-97 (n. 2969). (1)

Notae:

(1) Cf. 1) P. Sanctus Schiffini SI, a) [Undenam fluit ordinaria potestas Episcoporum in greges sibi subditos](#). b) [De veris membris Ecclesiae](#). c) [De distinctione inter Sedem et Sedentem quoad Romanum Pontificem](#). d) [Num suprema potestas quae est in coetu Episcoporum in coniunctione cum Romano Pontifice sit distincta a potestate suprema quae in uno Romano Pontifice est](#).

2) Dr. Franciscus Egger, Episcopus Brixinensis et Princeps, a) [De proprietatibus religionis](#). b) [De indefectibilitate Ecclesiae](#). c) [De necessitate Ecclesiae](#). d) [De opere Christi. Indoles religionis christianae](#). e) [Infideles et haeretici publici certe non sunt membra Ecclesiae](#).

3) Codex Juris Canonici, Pius Papa IV, [Professio Catholicae Fidei](#) ([Wyznanie Wiary katolickiej](#)).

4) S. Pius Papa X, [Jusjurandum contra errores modernismi](#) ([Przysięga antymodernistyczna](#)).

5) S. Pius Papa V, [Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini](#) ([Katechizm rzymski według uchwały świętego Soboru Trydenckiego](#)).

6) Urbanus Papa VIII, Benedictus Papa XIV, [Professio Fidei Orientalibus praescripta](#) ([Wyznanie Wiary dla chrześcijan wschodnich](#)).

- 7) Sac. Josephus Papp-Szilágyi de Illyésfalva, *De electione Romani Pontificis.*
- 8) D. Henricus Maria Pezzani, *Codex Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae. Can. 26. Devius a fide catholica, haereticus, vel schismaticus eligi prohibetur in Romanum Pontificem; si eligatur nulla est electio* (*Kodeks Świętego Katolickiego Kościoła Rzymskiego. Kanon 26. Zakazany jest wybór na Papieża tego, kto odstąpił od wiary katolickiej, heretyka lub schizmatyka; jeśli ktoś taki zostanie wybrany, wybór jest nieważny*).
- 9) P. Ferdinandus Cavallera SI, *Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis Magisterii ecclesiastici.*
- 10) P. Dominicus M. Prümmer OP, *Manuale iuris canonici in usum scholarum.*
- 11) P. Christianus Pesch SI, a) *Compendium Theologiae dogmaticae.* b) *De membris Ecclesiae.*
- 12) S. Alphonsus Maria de Liguorio, Ecclesiae Doctor, a) *Opera dogmatica. (Ex italico sermone in latinum transtulit, ad antiquas editiones castigavit notisque auxit Aloysius Walter CSsR).* b) *De Mariae gloriis.*
- 13) Pius Papa XII, a) *Litterae encyclicae "Mystici Corporis Christi"* (*Encyklika "Mystici Corporis Christi", O Mistycznym Ciele Chrystusa*). b) *Enchiridion indulgentiarum.*
- 14) S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Ordinis Praedicatorum, *Summa Theologica. Num Papa mortuo remaneat ejus potestas. – Ad quos electio Summi Pontificis pertinet.*
- 15) Albertus Nègre, Archiepiscopus Turonensis, Sacrae Theologiae Doctor, *Cursus Theologiae Dogmaticae. De Romani Pontificis infallibili magisterio.*
- 16) Sac. Petrus Semenenko CR, *Papa semper idem sit formaliter qui et materialiter* (*Papież zawsze ten sam jest formalnie, co i materialnie*).

(Notae ab ed. *Ultra montes*).



SUPPLEMENTA
AD
COLLECTIONES MONUMENTORUM
ET
LITERATURAE

DE
MATRIMONIO IN ECCLESIA CATHOLICA POTESTATI ECCLESIASTICAE
SUBIECTO; MATRIMONIIS MIXTIS; COELIBATU ET BREVIARIO;
INDEPENDENTIA POTESTATIS ECCLESIASTICAE AB IMPERIO CIVILI;
ROMANO PONTIFICE; BEATA MARIA VIRGINE IN SUO CONCEPTU
IMMACULATA.



COLLEGIT ET EDIDIT


AUGUSTINUS DE ROSKOVÁNY,
EPISCOPUS NITRIENSIS.



TOMUS VII.
(RESP. XVIII.)
ROMANUS PONTIFEX ECCLESIAE PRIMAS
ET PRINCEPS CIVILIS.
MONUMENTA ET LITERATURA SEculi XIX
USQUE ANNUM 1880.



NITRIAE, 1889.
TYPIS SCHEMPEK ET HUSZÁR.



([HTM](#))

© *Ultra montes* (www.ultramontes.pl)

Cracovia MMXXIII, Kraków 2023